

cunque orthodoxos immiserit, qui præter innumeras alias fidelium cædes, direptiones, & incendia, trecentos quinquaginta monachos, quorum multi ad altaria confugerant, non alia ex causa quam odii adversus Catholicam fidem concepti, trucidarent. Legati autem qui horum facinorum querelam ad Anastasium detulerunt, injuriose excepti, & cum contumeliis rejechi sunt a sceleratissimo Imperatore, quem demum anno sequente, qui fuit Christi 518. divina ultio fulmine de celo icturn de medio sustulit.

15. Post horrendas DEI Ecclesiæ effusas per sacrilegum & immanissimum persecutorem tenebras, dies serenus illuxit, quo piissimus & amantissimus Ecclesiæ Princeps Justinus ad thronum Imperii evectus est. Hic ex abjectissima forte per virtutem & honorum gradus ad id fastigium ascendit, ex bubulco miles gregarius, inde militiæ dux, cohortis præfectus, tribunus militum prætorianorum præfectus, & ad postremum Imperator evasit. Hujus Imperii exordio Pontifex Hormisdas, quæ tanto studio, sed hæcenus inani, expetiverat, consecutus est. Missis enim Constantinopolim Legatis hæc a religiosissimo Principe impetravit. Primum, ut Sectæ omnes a recto Ecclesiæ Romanæ tramite devix Imperiali edicto proscriberentur. Tum quoque ut Acacii, Euphemii, & Macedonii Constantinopolis Antistitum, necnon impiorum Imperatorum Zenonis & Anastasii memoria damnaretur, eorumque nomina de tabulis omnium Orientis Ecclesiarum eraderentur. Hac ratione diffidum cessavit Ecclesiarum Orientis cum Romana Ecclesia, quod annos triginta sex perduraverat, ex quo Felix Papa tertius anathemate justo Acacium percussit. Hæreticos Justinus insectando, Arianum Regem Theodorici adeo commovit, ut minaretur se aequalia facturum Italiæ in qua regnabat Catholicis, eorumque Ecclesias & opes Ariani se attributurum, nisi Justinus, quascunque his abstulerat Ecclesias, quamprimum restitueret, misitque ad hanc Legationem Joannem Papam, qui mortui Hormisdæ successor fuerat ordinatus, ut isti Justino Augusti denunciaret. Paulus quidem Diaconus in miscella Historia refert, Justinum Joannis precibus adductum Ecclesias Ariani ereptas restituisse, & ab his vendendis desistisse. Sed Joannes tamen epist. 2. scripta ad omnes Italiæ Episcopos, contrarium prorsus de se testatur, nimirum se tempore Legationis quascunque reperire poterat Ecclesias Ariani ereptas consecrasset, Catholicis a Justino vindicatas. Reique eventus id magis suadet; regressum enim ex illa Legatione Joannem, quasi Legationis injuncta prævaricatorem, Theodoricus Ravennæ in vincula conjecit, ibique inedia & qualore mori coegit anno 526. Quo eodem Symmachum Senatorem, ejusque generum Boetium, Illustrissimos Sæculi hujus viros, gladio necavit. Idemque ipse Theodoricus paucis post diebus moriens ad tremendum DEI judicium evocatus est, relicta filia Amalafuntha præstantis virtutis femina, & ex illa nepote Athalarico regni successore, qui anno ætatis decimo-sexto extinctus est. Amalafuntha, quæ Regnum ut tutelam filii sui gerens sapienter administraverat, Gothos verita, regnum in Theodatum transfudit Amalaphide fororis Theodorici filium, quo præter meritum evectus homo iners, & flagitiosus, bene de se meritam feminam trans Vulturnum lacum relegatam & carcere inclusam perfidiose necari iussit, anno 534.

16. Exacto Imperii novennio Justinus diem obit extremum, eique succedit ex sorore nepos Justinianus constans, variisque moribus Princeps, qui multis edictis Catholicæ religioni consultum esse voluit, sed idem transiens justæ potestatis limites, immodicam sibi auctoritatem arrogavit, perniciemque gravem & schisma in Ecclesiam invexit, in summum Pontificem impius & crudelis, avunculo Justino longe dissimilis, & Anastasio impio moribus & studiis conformior, cujus imitatione Synodum Chalcedonensem impugnavit, ipseque tandem cum impia uxore Theodora, Eutycheis & Severianorum hæresibus se irretivit, quas sub Agapeto Pontifice, repugnante uxore, fuerat insectatus: ut de ipso prædicari possit, cum initio fuisset Justini pietatis imitator, degenerasse postmodum in Zenonis & Anastasii perniciosam imitationem. Hic ergo repugnante admodum & dissuadente Romano Pontifice Vigilio, sed hortatoribus hæreticis auscultans, Concilium quintum œcumenicum Constantinopoli coegit, non solum Ecclesiæ inutile, sed etiam perniciosum, ut effectus comprobavit; sibi que renitentem Vigiliam Pontificem in vincula conjecit, eumdemque ne quid deterius occasione suæ resistentiæ Justinianus moliretur, approbare Concilium compellit, dissidia renovando, quæ jampridem auctorum penitentia aboleverat, & Chalcedonensium Patrum prudentia conspoverat. Ab hoc igitur Imperatore, ad odium & vituperium sacrosanctæ Synodi, auctoritate sanctissimi Pontificis Leonis, & religiosissimi ac sapien-

tissimi Marciani Augusti celebrata, ut nova & inutilis Synodus præcedentem & saluberrimam infirmaret, aut si fieri posset, aboleret, trium capitulorum disputatio dudum extincta resumpta est, scilicet de Ibe Edeffeni epistola ad Marim Perfam, de Theodori Mopsuestiæ Episcopi scriptis, & de Theodoriti Cyri Episcopi anathematismis impugnantibus anathematismos, quos Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorianos procluserat. Continebantur quidem in hisce capitulis errores censura digni, sed jampridem satis per auctorum respicientiam expurgati, quos respicientes & pristinos damnantes errores Synodus Chalcedonensis reconciliaverat, & in suum confessum admerat, scilicet Ibam Theodori Mopsuestiensis in sua illa epistola cum excessu laudatorem, & Theodoritum jam Cyrillo consentientem, siveque scripti penitentem: quorum uterque multum conferre poterat ad hæresim Eutycheis profligandam. Veruntamen Eutycheianæ hæresis apertus fautor & assertor Theodorus Casareus Capadocum Antistes novæ & quintæ Synodi indicendæ auctor & suavor erat, odio incitatus Synodi Chalcedonensis, quæ Eutychem, cujus ipse sectator erat, damnaverat.

17. Hæc porro quinta Synodus urgente Justiniano, & in oppositum obnitente Papa Vigilio, (qui tandem impedire non valens eidem consentit, prævidens quam exitiale sequatur schisma erat, si resistere pergeret) celebrata Constantinopoli fuit anno 553. In hac Origenes quoque anathemate damnatus est una cum Didymo & Evagrio, siveque inter œcumenicas habuit locum, ex quo Romanæ sedis assensione firmata fuit. Eutycheiana & Severiana hæresis, quæ Justino imperante semimortua jacuerat, ut vix reperiretur, qui palam illam auderet asserere, sub Justiniano, ex quo ab uxore Theodora, & a Theodoro Casareensi seductus illius patricium suscepit, caput erexit. Theodora quidem Augusta audax & superba femina Eutycheiana fordens hæresis, Anthimum pariter Eutycheianum, ex Trapezuntino Episcopo Patriarcham fecerat Constantinopolitanum. Verum Agapetus Papa a Theodoro Gothorum Rege Legatus ad Justinianum missus Anthimum sede illa & fidelium communione privavit, atque ejus in locum Mennam Catholicum Sacerdotem promovit, anno 536. Theodora quidem fremente, Justiniano tamen abnuere minime auso. Sed postquam illa omnem sibi Imperii auctoritatem ascivit, & Belisarium Africa, & Italiæ domitorem, alioque Imperii Optimates suis justonibus obediens reddidit, tunc demum Sylverium sanctissimum Romæ Pontificem, suis precibus de Anthimo restituendo minime obsequentem, calumniis appetitum exilio damnavit, eumque in Insula Palmaria arumnis & inedia necavit, ejusque in locum Vigiliam ex ambitu Summi Pontificatus consentientem promovit curavit. Ex eo tempore Justinianus nimium uxoris a pristina religione degener esse cepit. Enimvero Agapeto vita functo, Mennas Constantinopoli Synodum coegit, in qua Anthimum & Severum, ceteroque damnavit hæreticos, quos omnes Justinianus necdum depravatus edicto suo relegavit, eorumque libros incendio addidit. Adeo variabile est humanum ingenium, atque ab optimis etiam initiis in deteriora proclive. Ex opposito Vigilius a deterrimis initiis ad meliora desecit. Adhuc enim Sylverio in exilio vivente Cathedram Apostolicam factione Belisarii occupavit, eumque Sylverius exul justissimo anathemate percussit. Ceterum biennio post Sylverio vita functo, Vigilius licet indignus, fide data de Catholica religione tuenda & promovenda, legitimis comitiis, ut scilicet occurreretur futuro, quod metuebatur, schismati, electus est Summus Pontifex: quo ex tempore renuens, quæ Theodora pollicitus fuerat, exequi, de Menna deponendo, & Anthimo restituendo; ejus in se odium implacabile concitavit, seque deinceps ab omni hæresi prorsus alienum dictis factisque exhibuit.

18. Romanum sub Justiniano Imperium amplissimis auctum est incrementis, ipseque simul Catholica religio, depulsi Ariani Vandales Africa, Gothi vero Italiæ, Siciliaque, per Belisarium & Narsetem victores dominatu. Sed his triumphis quasi quedam velitatione prælusit Lazicum bellum. Lazorum Rex jam inde Justino Imperium regente suscepta Christiana fide cum Romanis fœdus junxerat, eorumque præsidio se adversus Persarum vires communierat. Sunt porro Lazici populi, quos ad Orientale maris Euxini litus sitos antiquitas Colchos dixerat, nostra vero ætas Mengrelios, suntque Iberis, qui nunc Georgiani & Circassi vocantur, finitimi. Cabades Persarum Rex Lazos bello aggreditur, quos Justinianus in suum præsidium & tutelam suscipit, missis in Orientem Belisario Duce, qui præclaras de Persis victorias in Mesopotamia primum, deinde in Armenia reportavit: tertioque apud Daram castrum. Quas Belisarii victorias exacte describit Procopius, qui

qui sub Belisarii signis militabat. Ceterum cum varia incertaque sit Martis alea, ipsi quoque Romani a Persis clades eodem bello passi sunt. Pace cum Persis utcumque composita, Justiniani anno sexto, Constantinopoli gravissima seditio exaruit, in qua Hypatius patriocius acclamatus est Imperator. Justinianus cum de capeffenda fuga dubitasset, palatium hortatu Theodora munuit, Belisariique, atque Narsetis opera occisa sunt uno die plusquam triginta hominum millia, multaque subverfa Ecclesiæ, quas Justinianus postea refecit. Joannes Cappadox Præfectus Prætorio, & Tribonianus quaestor, ut populo de amborum nequitia & rapinis conquerenti utcumque satisfaceret, exauctorati sunt a Justiniano, sed paulo post in pristinum gradum ab eodem restituti. Exinde subsequutum est Vandalicum bellum. Gilimer, fratre suo Hilderico preempto, ejus occupavit regnum: Quam ut ulcisceretur nequitiam Justinianus, bellum adversus eum movit missis Belisario Duce. Mirum quam celeriter tanti momenti bellum terminatum fuerit. Primo enim anno Carthago expugnata, multaque præcipue civitates & arces jugum victoris acceperunt. Sequenti vero, Gilimere in Belisarii manus redacto, amplissimum id regnum in partes Romani celsi Imperii. Belisarius victricis specie triumphi Constantinopolim est ingressus, non tamen curru, sed equo phalarato insidens, captivis ante se traductis, ipsoque Gilimere identidem verba ista inclamante: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Qui tamen sedentem Imperatorem compulsum est adorare, a quo donatus est agro in Cappadocia, in qua quod reliquum vitæ habuit, transegit.

19. Post partas a Belisario in Asia de Persis, & in Africa de Vandalis victorias, hoc unum supererat ad æquandos Pompeji triumphos, ut de Europa quoque triumpharet, qui laudis cumulus ad Belisarii pariter gloriam bello adversus Gothos Italico accessit. Justinianus studio flagrans plecendi sceleris, quod in Amalafuntham Theodatus commiserat, simulque Italiæ recuperandam, Belisarium contra Gothos inivit anno 535. Cæptum id bellum in Sicilia fuit, quam Belisarius eodem anno universam subegit. Gothi Theodati nequitia ignaviaque peracti, eo interempto Vitigem sibi Regem constituerunt, qui Romanis strenue resistit. Romam nihilominus veterem Belisarius expugnavit anno 536. Deinde Ravennam Gothorum regni caput ac sedem, Vitigemque cum ejus conjuge in suam redigit potestatem. Tum Gothi efusus votis Belisario regnum deseruit: quos ille constanti erga Principem suum fide repulit. Debellatum cum Gothis omnino fuisset, nisi novum bellum Persis in Romanorum fines intentantibus Justinianus Belisarium, ut novo bello præfesset, ex Italia revocasset, qui anno 540. Vitigem Constantinopolim abduxit. Amoto Belisario, Totila rem Gothicam propemodum deploratam mirabili fortitudine & prudentia erexit. Statim enim Romanos acie victos in fugam compulsi, Romam, Neapolim, Samnium, Campaniam, & quascunque urbes & regiones Belisarius suam in potestatem redegerat, recuperavit. Missis adversum usque adeo formidabilem hostem Narfes Eunuchus, renovato Romanorum exercitu, accititque Longobardorum, qui sub eo egregiam navarunt operam, auxiliis, multas Italiæ regiones recepit, sibi que occurrentem cum valido exercitu Totilam, collatis signis, insigni ex utraque parte edita strage superavit, fortiterque dimicantem occidit anno Christi 553. Atque ita Gothicum bellum extinctum est.

20. Ut vero ad res Francorum regrediamur, Sigismundus, qui suavis sancti Præsulis Aviti ad Catholicam fidem ab Ariana heresi transferat, necem proprii filii innocentis Sigerici, quem ex priore matrimonio suscepserat, a se illatam, instigante posteriori uxore, in Agaunensi a se condito monasterio multorum dierum penitentia diluit, ipseque Deus immisus in eum gravissimis calamitatibus cumulatus voluit expiari. Clodomirus enim, qui apud Aurelianos Tetrarcha regnabat, illum acie superatum cum uxore, & liberis, quorum gratia Sigericum interfecerat, abduxit captivum. Eoque cum universa prole detento in custodia, Gundemarus Sigismundi frater occupatum a Francis regnum qua insidiis, qua vi invadit. Quam rem iniquo ferens animo Clodomirus, Sigismundum cum uxore, & liberis, precipitio in profundum puteum interimit. Et ipse dum Burgundos ultima victos acie palantes insequitur, interemptus est. Sed superstitis ipsius fratres Clotarius & Childebertus, renovato Burgundico bello, Gundemarus regno spoliarent, quod tunc omni ex parte in Francicum translatum est regnum anno 532. Clotarius demum tribus fratribus eorumque liberis superstitibus, Francicum regnum ex integro habuit in suam ditionem transfusum. Sed eo vita functo, quatuor ejus liberi totidem in Tetrachias denuo partiti sunt regnum. Char-

berto pars, quæ fuerat Childeberti, cum Lutetia Parisiorum obtigit. Guntramno pars olim Clodomiri apud Aurelianos. Chilperico portio, quæ patri Clotario primum obtigerat in Sueffionibus. Sigeberto portio, quæ Theodorico cesserat cum civitate Metensi.

21. In Hispaniis Amalaricus Alarici filius ejusque coronæ successor, Clodovæi liberis affinitate junctus fuerat, eorum quippe sororem Clotildem nuptiis sibi foeciaverat. Hanc postquam blanditiis conatus frustra fuit in Arianam hæresim pellicere: eamdem cepit indignis modis vexare, ut ejus animum quacunque posset ratione, ad perfidiam inflecteret, vi & cruciatibus adhibitis. Childebertus hanc ulcisci injuriam bello aggreditur. Amalaricus acie vincitur, fugamque iniens, Narbonæ a suis, quibus obperverfam indolem invisus erat, perimitur, anno 531. Childebertus abducta sorore cum opimis manibus in propria regreditur. Illa vero in itinere vitam exiit, Parisiosque ad sepulturam elata est.

22. Sigibertus, qui Francis apud Metas regnabat, affinitatem cum Visigothis renovavit, accepta in conjugium Athanagildi Hispaniæ Regis filia Brunehilde, quæ statim ejurata paterna heresi Catholicam amplexa est fidem. Chilpericus vero, qui Sueffionibus regnabat, paulo post alteram Athanagildi filiam, Gasuntham nomine, sibi nuptiarum fœdere ascivit, pellice rejecta Fredegunde, cujus postea blanditiis irretitus innocentem conjugem neci dedit, & Fredegundem accepit uxorem. Athanagildo Liuba successit, & huic filius Leovigildus. Gosuntham iste secundis nuptiis sibi copulavit: cum jam ex priore conjuge Theodosia sanctorum Leandri & Isidori sorore liberos haberet Hermenegildum & Recaredum. Leovigildus virtute bellica insignis, sed gentilicio Arianismi errore imbutus, diram in Catholicos persecutionem movit, quorum innumeros diversis suppliciiis interemit. Cum vero primogenitus filius Hermenegildus regni successioni destinatus a patre, Ingundem Sigiberti Franci apud Metas regnantis filiam accepisset uxorem, eam in Hispaniam magno apparatu latitiaeque significatione deductam Gosuntham amicissime complexa est, sperans pari facilitate illam deserturam Catholicam professionem, qua mater ejus Brunehildis Arianam deseruerat; sed ita omni posthabito humano respectu, constans in sancto proposito perseveravit. Tum Gosuntham consentiente Rege Leovigildo, quod blanditiis precibusque non valuerat, per vim & cruciatu obtinere nitaxa est: sed nullo modo potuit puella constantia labefactari. Quinimmo ipsa conjugem suum ad orthodoxam fidem traduxit. Quam rem ut rescivit Leovigildus, postquam conatus omni arte fuit sanctum juvenem a fide avertere, nec illum inflectere valuit, ira furens persecutionem in Catholicos adauxit. Quæ causa belli fuit inter patrem & filium, Catholicorum crudelissime vexatorum patrocinium suscipientem: cujus avunculus Leander Legationem inivit ad Tiberium Imperatorem, subsidium pro Catholicis dire oppressis rogans tum pecuniæ, tum militum. At res Tiberio ejusque sanctiori consilio difficillima visa est, nulliusque fere spei ex tam longinquo suppeditare auxilia Principi in propria patria admodum debili, inopio, & adversus potentissimum & bellicosum Regem. Paucas tamen militum & pecuniæ suppetias misit Imperator, quæ magis conferre possent ad pacem conciliandam, quam ad bellum prosequendum, quas rediens in Hispaniam Leander adduxit. Sed in proximo prælii Dux ille Græcus cum suis a Leovigildo pecunia corruptis, antequam ad manus ventum esset, defecit ab Hermenegildo, seque copias Leovigildi adjunxit. Quo factum est, ut Leovigildus dira strage Catholicos affecerit, filiumque captum in vincula miserit, eoque gravius exasperatus in filium tamquam rebellem, atque in ceteros Catholicos, ut perduelles & lese majestatis reos levierit. Adventantibus vero Paschalis diebus, misit intra carcerem Arianum Episcopum, ut Communionem Arianam suaderet. Cumque hic a sancto proposito dimoveri nullatenus potuisset, immisus a patre apparitor sanctum juvenem impacta in cerebrum securi peremit, anno Chr. 584. Leovigildus anno sequenti moritur, postquam Recaredum filium alterum impensius adhortatus fuit, ut fratris Hermenegildi pietatem imitaretur, & fidem Catholicam, quantum placid fieri poterat, in regno propagaret. His monitis quam libentissime paruit Recaredus, consiliisque Leandri avunculi usus omne fere regnum ad Catholicam fidem perduxit: indixit celeberrimum totius Hispaniæ Concilium nationale tertium Toletanum, quo accurate provifum est, & fidei propagationi, & Ecclesiæ sacre disciplina.

23. Ad istud pariter Sæculum pertinet expeditio Regis Æthiopiae Elesbam, adversus tyrannum Homeritarum Dunaam Christianæ religionis desertorem; qui non modo ad Judaicam perfidiam defecerat, sed etiam gentem